

MARIUS MERCATOR in Commonit. c. 1. n. 4. de Celestio sic narrat : *Ubi actis (quorum exemplaria habemus) interrogatus, cum ab illo cognitore aliquatenus terretur, crebris responsionibus et prosecutionibus suis spem praesemnavit, condemnare se illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens. Id enim et instantius jubebatur, atque ob hoc ipsum nonnulla illius sancti Sacerdotis (Zosimi) humanitate dignus est habitus, et sic epistolam humanitatis plenam ad Africanos Episcopos meruit; ergo cum ZOSIMUS jusserit Celestium condemnare suos errores, et lenius ideo tantum eum habuerit, quia promittebat errorum suorum damnationem; certe nullatenus ipse errores comprobavit. Accedit FACUNDUS Hermian. L. 7. c. 3. Neque, inquit, Palæstinos Episcopos, nec ZOSIMUM hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt; sed potius pro merito sua fidei Catholicos judicat et honorat, quoniam non debet criminis deputari simplicium non intellecta versutia malignorum.*

Nec obstat 1^o. Quod ZOSIMUS, ut 1. c. scribit Aug., libellum Celestii dixerit Catholicum, licet in eo exprimeretur error negans peccatum originale. Nec 2^o. Quod fidem ipsius Pelagii et Celestii, ut ait FACUNDUS 1. c., tanquam veram et Catholicam laudaverit, et culpaverit Africanos Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur.

R. Ad 1^{um}. D. ZOSIMUS dicit libellum Celestii Catholicum quoad maximam sui partem articulos symboli continentem C. secundum omnes propositiones in eo contentas Subd. Dixit Catholicum habita præcise ratione ipsorum dogmatum N. habita ratione mentis et affectus, quem præ se ferebat Celestius C. Item : Exprimebatur in eo error de peccato originali per modum doctrinæ, cui adhaereret Celestius N. per modum dubii, de quo Pontificem consuleret, asserens se velle instrui et emendari, seque adhaerere decretis Innocentii C. Distinctionis veritas patet ex laudato supra S. AUGUSTINI loco, ubi inquit : *Cum hoc Celestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est; in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia et hoc Catholicæ mentis est; si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere.*

R. Ad 2^{um}. D. Similiter, et in eo errorem facti, non autem juris facile concedo, quemadmodum ex hactenus dictis et ipsis MARI 1. c. verbis manifestum est.

87. R. II. ZOSIMUS nimia indulgentia non peccavit.

Prob. Imprimis non peccavit contra justitiae aut prudentiae leges; tum quia INNOCENTIUS ita sententiam suam temperavit, ut juberet Pelagio et Celestio, si unquam ad sanum (verba sunt INNOCENTII in Rescripto ad Silvanum et caeteros Milevitanae Synodi Patres), deposito pravi dogmatis errore, resipuerint... eis medicina solita, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negaretur (Labb. t. 2. p. 1289. B.) : tum quia Hæretici illi errorem se deposuisse dicebant, INNOCENTII litteris assensum exterius præbebant, et Praylli testimonio commendabantur.

Deinde non peccavit contra Canones, quibus retractatio causæ fidei in

Synodo judicatae prohibetur; tum quia Canones illi loquuntur non de Synodo Provinciali vel Nationali, sed de OEcumenica, qualis in causa Pelagianorum ante ZOSIMUM nulla est habita: tum quia ZOSIMUS non retractavit causam fidei et quæstionem ipsam juris, quæ INNOCENTII judicio finita erat, ut ait Aug. L. 2. ad Bonif. c. 3. *Litteris beatæ memorie Papæ Innocentii de hac re tota dubitatio sublata est.* Et serm. 2. de verbis Apost. c. 10. (al. serm. 131. c. 10.) : *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error! Questionem itaque facti duntaxat expendere diligentius suscepit, an scilicet Pelagius et Celestius hæresem rei essent: cuius rei et facultas et causa erat, ut ex dictis hactenus et ex eo colligi potest, quod Eros et Lazarus accusatores Pelagii, ille Arelatensis, hic Aquensis criminationes gravissimas subiissent.*

Denique non peccavit contra iudicii formam, quæ non sinit habere rationem appellationis, quam quis non est persecutus: ut Celestius fecerat, qui cum in Concilio primo Carthaginensi ad Sedem Apostolicam appellasset, per plures annos causam suam neglexit; tum quia ZOSIMUS tanquam judex supremus appellationem etiam peremptam potuit in integrum restituere: tum quia etiam sine respectu ad illam appellationem Celestii et Pelagii fidem rursus expendere potuit, ut cognosceret, num communione Ecclesiastica, quam flagitabant, digni forent.

CAPUT II.

DE ESSENTIA PECCATI ORIGINALIS.

ARTICULUS I.

AN CONCUPISCENTIA CONSTITUAT PECCATUM ORIGINALE?

88. Nota. Flaccus Illyricus docuit, peccatum originale esse substantiam malam a diabolo productam: Origenes cum plerisque Pelagianis illud explicat per peccati Adæ imitationem: Baius voluit esse peccatum a parvulo in proprio supposito habitualiter commissum, in propp. 47. 48. 49. Alii dicebant, esse denominationem mere extrinsecam, aut solam obnoxietatem peccati, contra aperta verba Apostoli, ARAUS. II. et TRIB. Lutherus formaliter illud constituit in concupiscentia: Jansenius materialiter in concupiscentia, sed formaliter in reatu, qui vero habeat rationem peccati proprie dicti. S. AUGUSTINUS concupiscentiam pro materiali designat, sed quod, tanquam aliquid specialiter quidem adjunctum, propriam rationem peccati non contineat: Alii statuunt esse privationem justitiae originalis; alii ipsum Adæ peccatum moraliter nostrum. De singulis pauca, sed vera; fatentes insuper cum S. ATQ. L. de mor. Eccl. c. 22. *Hoc peccato antiquo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.*

89. *Dico I.* Concupiscentia non est formaliter peccatum originale. Est de fide, ex TRID. Sess. 3. can. 5.

Prob. Ex SCRIPTURA. I. Ad Rom. 8. v. 4. *Nihil ergo nunc damnationis, h.e. damnatione dignum, est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Et 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi... emundat nos ab omni peccato.* Ergo in regeneratis non est peccatum originale. Atqui in iis tamen est concupiscentia, ut testatur experientia, et ipsi adversarii fatentur; ergo. Nec juvat hic excipere, quod concupiscentia in peccatum non imputetur; Scriptura enim asserit, nihil damnationis esse in renatis, hosque emundatos a peccato. Præterea Apostolus ad Rom. c. 6. v. 2. et 4. comparat renovationem hominis per baptismum cum resurrectione Christi: ad Coloss. 3. et Ephes. 4. in eadem dicit expoliari et deponi veterem hominem, indui autem novum etc., que ad peccata tegenda aut non imputanda referri nequeunt.

II. Jacob. 1. v. 14. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* In quem textum S. AUG. L. 6. cont. Julian. c. 15. n. 47. sic scribit: *Profecto in his verbis partus a pariente discernitur: pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum.* Ergo concupiscentia per se et formaliter peccatum non est.

Prob. Ex TRADITIONE. L. SS. PATRUM, quos ipse Calvinus L. 3. Inst. c. 5. §. 10. sibi contrarios fatetur; refert plurimos BELLARM. hic c. 8.; unde nonnisi S. AUGUSTINUM, quem Lutherus sibi faventem falso jactat, in omnibus suorum operum tomis illi obloquentem sistimus. Sic autem L. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 13. n. 27. de concupiscentia in baptizatis scribit: *Etiamsi vocatur peccatum, non utique, quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur; sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* L. 6. cont. Jul. c. 16. n. 49. *Tu autem qui putas, quod, si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo.* Et serm. 6. de verb. Apost. (al. 133. n. 9.) *Restat ergo cum carne conflictus; quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas.* Plura si cupis, consule BELLARM. l. c.

II. Huc spectat Pii V., Gregorii XIII., et Urbani VIII. damnatio Baianis propositionibus inficta, quarum haec est 30. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita precepto: Non concupiscere.* Et 51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.*

Prob. Ex RATIONE. Si concupiscentia esset formaliter peccatum originale, ergo vel concupiscentia actualis vel habitualis. Non 1^{um}; ut patet. Non 2^{um}; potentia enim concupisciendi imprimis non est formale peccatum; tum quia definitionem peccati habere non potest, quod dicitur actus moralis regulæ morum difformis: tum quia tanquam facultas congenita nec baptizatos etiam sanctissimos deserit. Deinde nec formaliter est peccatum originale; tum quia est effectus et pena peccati originalis: tum quia, si foret in homine, qui ex Adamo non esset natus, originariam labem ei non aspergeret.

Conf. Ex S. AUG., qui rationem, sub quâ concupiscentia peccatum dia-

tur, exponit L. 1. de Nuptiis c. 23. n. 23. *Ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrant, a regina mente membra non dantur: ut si non sit quod scriptum est, Non concupiscere, fiat saltem quod alibi legitur: Post concupiscentias tuas non eas. Sed... modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod et peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit.*

90. *Dico II.* Concupiscentia non est *materiale* originalis peccati in sensu Jansenij.

Prob. Nec est sententia S. AUGUSTINI, nec cum Catholica fide conciliari potest. Pars 1^a. patet, tum ex locis hactenus laudatis, quibus S. Doctor concupiscentiam negat esse peccatum proprie dictum, docetque sic tantum vocari metonymice: tum ex L. de Continentia c. 7. n. 18., L. de vera Religione c. 14. L. 14., de Trin. c. 17., L. 1. Retract. c. 15. n. 2. Ubi rursus negat, ipsam concupiscentiam esse reatum et per se facere hominem reum, vultque duntaxat esse poenam et effectum peccati originalis, et causam actualis. Pars 2^a. constat etiam ex TRIB. recitato, quod definit per baptismum *deteri, auferri et remitti peccata, nihilque remanere, quod veram et propriam peccati rationem gerat.* Cum hae vero doctrina minime congruit, post baptismum etiam vigore concupiscentiam, que per se peccati veram rationem habeat, atque ex sese constitutam hominem reum.

91. *Dico III.* Concupiscentia *theologice* quidem, non autem *philosophice* potest in sensu S. AUGUSTINI vocari *materiale* peccati originalis.

Ratio primi est, quia nec contra fidem nec contra sana Theologie principia est, concupiscentiam dici aliquid specialiter adjunctum illi, in quo tota ratio formalis peccati originarii consistit: aut esse passionem principaliorem, quæ ab originali reatu oritur et separabilis est, non vero ipsa hunc reatum fundat, aut enasci facit, aut inseparabiliter inducit.

Ratio secundi est, quia ex communi Philosophiae placito effectus rei non habet se ut materia ejusdem rei, nec rei essentia per aliquid ad illam consequens per modum partis constitutur: sed concupiscentia est effectus, et quid consequens ad peccatum originale; ergo.

92. *Obj. cont. 1^{um}.* In sacra Scriptura concupiscentia vocatur saepe peccatum: ad Rom. 6. v. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* c. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupiscere.* Et ibid. v. 14. *Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Sed peccatum hic intelligitur proprium; cum in his capitibus loquatur PAULUS de illo, pro quo Christus mortuus est, et cui nos in baptismo morimur: foret autem sermonis vitium, si aliter peccatum explicaretur de concupiscentia; ergo.

R. 1^o. *N. min.* Peccatum in Scripturis diversimode accipi constat ex num. 4. Adeo autem hoc non est sermonis vitium, ut vel ornamentum vel necessarium medium sit ad verum sensum earumdem vocum ad eundem prope versum pertinentium habendum. Exemplum vel ipsum c. 7. ad Rom. offert, ubi v. 7. dicitur: *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit! Sed peccatum*

non cognovi, nisi per legem. Et v. 8. *Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Hic enim peccatum, primo loco accipitur pro causa peccati: secundo pro peccato proprio dicto; tertio pro facultate concupisendi, a qua actus concupiscentiae oriuntur. Porro sicut concupiscentia alia est habitualis, alia actualis indeliberata, alia spontanea et libera, sic etiam aliter et aliter peccatum appellatur, scilicet vel proprio, vel impropre, vel formaliter, vel materialiter. Hinc

R. 2^o. *Ad text. 1^{um}.* Verba 1^o. possunt intelligi de peccato proprio dicto, quod sit, si homo obediatur concupiscentiis, et quod regnare dicitur, si peccans subjicitur peccato. 2^o. Sumi possunt pro concupiscentia, quae peccati originalis effectus est, et nos in actuale peccatum pertrahit; sed tunc non nisi impropiam acceptionem esse patet; praesertim quia dicitur esse in corpore peccatum, quod tamen, si proprium sit, in una mente locum habet.

Ad text. 2^{um}. Agitur hic quidem de peccato proprio tali, sed et de concupiscentiae actibus, qui ex mera voluntate proficiuntur, cum ad eos lex prohibens pressius loquendo unice pertineat.

Ad text. 3^{um}. Sermo est de concupiscentiae motibus, quos PAULUS sentiebat, quin tamen consentiret; hinc peccatum hic in sensu materiali, non formal usurpatum, cum venditio et servitus tantum sit ad sensum, non vero ad consensum.

Inst. 4. Plura sunt, quae concupiscentiam in sensu proprio peccatum dictam probant; nam 1^o. vocatur non bonum et malum. Ad Rom. 7. v. 18. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Et v. 21. *Quoniam mihi malum adjacet.* 2^o. Repugnat legi. Ibid. v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.* Et ad Rom. 8. v. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta.* 3^o. Subjicit hominem peccato et miserum facit. Ibid. c. 7. v. 23. *Video aliam legem... captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Et v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus;* ergo.

R. N. A. Hæc enim omnia convenire possunt concupiscentiae, quatenus est corruptio quedam naturæ incitans ad malum, quin tamen propriam peccati rationem inde consequatur; et hoc sensu

In primo vocatur concupiscentia non bonum ac malum.

In secundo ad modum repugnandi et ad id, quod repugnat legi, attendendum est. Quod enim repugnat legi ut actio contraria, veram peccati notionem duntaxat habet; *subjectum autem, causa, effectus aut regula* meram denominationem ab actu peccaminoso participant: quare cum concupiscentia non ut actio quedam moralis, sed ut lex membrorum ac regula peccati v. 23. dicatur opponi legi mentis et regule bonæ actionis, appareat peccatum proprio dictum hic non reperiri. *Sapientia vero carnis repugnat* quidem ut actio legi divinæ, quia curam et sollicitudinem, quæ carni commoda sunt, procurandi nimiam significat; hoc ipso autem aliam esse, quam de qua disputamus, concupiscentiam liquet.

In tertio illud *captivantem* in lege peccati S. Avg. L. 1. de Nupt. et Concup. c. 30. recte exponit de concupiscentia vel captivare conante, vel captivante secundum carnem, non secundum mentem. Infelicitas autem et miseria in Scripturis ut plurimum poenæ potius tribuitur quam culpæ, ut

patet ex Prov. 14. v. 34. Ps. 11. v. 6. etc. unde concupiscentiam peccati originalis poenam, minime vero culpam esse colligitur.

Inst. 2. Concupiscentia est prohibita hac lege: *Non concupisces;* ergo est proprio peccatum. Nam 1^o. juxta S. Avg. L. 1. de Nuptiis c. 23. lex: *Non concupisces*, distinguitur a lege: *Post concupiscentias tuas non eas;* ergo sicut hæc prohibet motus concupiscentiae deliberatos, seu consensum; sic illa prohibet concupiscentiam ipsam et motus ejus etiam indeliberatos, seu sensum. 2^o. Idem L. de Spir. et Littera c. ult. et L. 1. de Nupt. c. 29. alibique, docet, legem: *Non concupisces, non posse servari in hac vita propter motus concupiscentiae;* ergo. 3^o. Id quod per se trahit ad malum, prohibetur eadem lege, qua prohibetur ipsum malum: sed concupiscentia per se trahit ad malum; ergo.

R. N. A. Sive concupiscentia hic indicet primitatem innatam ad malum, sive ejus actus involuntarios, hujus legis materia esse nequit; non enim prohibetur id, quod in nostra potestate non est, nee a nobis vitari potest.

Ad Prob. 1^{am}. N. Cons. Recte enim S. Avg. L. 5. contra Julian. c. 3. n. 11. *Alioquin frustra dictum est: Post concupiscentias tuas non eas, si quisque jam reus est, quod tumultuantur et ad mala trahere nitentes sentit eas.* Utrisque ergo lex prohibet consensum motibus concupiscentiae inordinatis dandum, et quodlibet liberum desiderium malum. Distinguuntur quidem inter se, quod *prima* proponat media et finem, nempe pugnam contra concupiscentias et extirpationem concupiscentiae: *secunda* autem tantum media edeat. Quia tamen obligatio præcepti proprio ad media pertinet, finis autem imperari nec solet, nec potest; hinc finem illum lex prior manifestat duntaxat, ut intelligamus, quo nobis Deo adjuvante sit tendendum, non autem ut rei simus, si id non præstems, quod penes nos non stat, et ad felicitatem futuræ vitae, non ad præsentis obligationem spectat.

Ad Prob. 2^{am}. D. Lex hæc servari nequit perfecte, quantum ad media et finem, quantum ad obligationem et intentionem C. non potest servari simpliciter, secundum media, seu illa, quæ nobis pro hac vita præcipiuntur N. Hoc ipsum dicit S. Avg. L. de Spir. et Litt. ac similiter loquitur de præcepto diligendi Deum; L. de Nupt. autem ita explicat: *Multum boni facit, qui facit, quod scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas: sed non perficit, quia non implet quod scriptum est, Non concupisces.* *Ad hoc ergo dixit lex, Non concupisces, ut nos in hoc morbo invenientes jacere, medicinam gratiæ quereremus, et in eo præcepto sciremus, et quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, et quo possit a nobis in illa immortalitate beatissima perveniri.*

Ad Prob. 3^{am}. D. M. Si id, quod ad malum trahit, sit in nostra potestate, sic, ut pro arbitrio nostro possimus eo uti vel carere C. Si non sit, uti accidit in concupiscentia, cuius motus etiam inviti experimur N. Inde autem non peccari sæpius jam dictum est, ut S. Avg. docet L. de 2. animabus c. 12. n. 17. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summae iniuritatis est et insanie.*

Inst. 3. Concupiscentiae convenienti prædicata peccati proprio dicti; ergo. Nam 1^o. Deus non fecit concupiscentiam, quæ, ut ait Joan. 4. ep. 2. v. 16. *non est ex Patre, sed ex mundo est;* cum tamen omnia preter peccatum fecerit. 2^o. Deus odio habet concupiscentiam, et nos odisse debemus, juxta